



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia

Androzzi, Fulvio

Coloniae, 1611

Documenta S. Hieronymi pro viduis & matronis Christianis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48641)

VIDUITATIS. 141

Tempus absque utilitate dilapidare,
otiosè & infructiosè.

Non conari ad scientiam earum, que
conducunt ad utilitatem animæ, cuius-
modi sunt legitimè confiteri, solidè
humiliari, & id genus alia.

Incuria in custodiendo corde, &
preparando illud ad recipiendam sem-
per nouam de cælo gratiam.

Desidia in disponenda anima ad re-
ceptionem venerabilis Eucharistiæ.

*Documenta S. Hieronymi pro viduis &
matronis Christianis.*

Principiò, sicut adiuncto sibi mari-
to placere cupit; ita conentur placere
Deo, quem loco mariti amandum de-
legerunt.

Sicut viuètes in Mundo, vanitatibus
vacauerunt illius, ita postquam migra-
runt ad Christum, operæpretium est,
vt abdicant se à vanitatibus quæ illi
contrariantur.

Dum viuerent in matrimonio, foue-
bant ac nutriebant corpus, vt educan-
tis filijs, & portando, matrimonij pon-
deri pares essent. Sic concedet vt post-
modum ad sobrietatem, & iugum
Christi illud assuefaciant.

Adcò

Adeò vsque diligent castimoniam, ut omnia ipsarum membra, omnia verba, gestus & actiones spirent verecundiam ac puritatem.

Non tractent vnquam solæ cum viris præcipuè talibus, quorum sermo & personæ possint alijs sinistram suspicionem porrigere.

Omneiu conuersationem, cum personis lasciuis ac sensualibus intermittant, nec vnquam tales sibi appropinquare patiantur.

Nec detrahant, nec murmurent: neque malè de aliquo loquantur: sed à murmuratoribus abhorreat, ut ira quis quis ad eas accedit castè & caute, nec de vllò perperam sibi colloquendum meminerit.

Pari cura, zelo ac timore honestatem tueri debent, & tam sedulæ ipsius amatrices esse ut os & oculi, corpus & indumenta omnia honestatem præferant; nec quisquam coram illis audeat, nisi res maximè honestas & pudicas sermone attingere.

Declinent familiaritatem personarum quam mores & vita vanitatem oleant, præcipuè virginum ac viduarum infamiam.

Quanto iuniores sunt, tanto se flu,
dip:

diostius ornent decore pudicitiae.

In foeminis famam integritatis admodum teneram esse constat, & tanquam rosam, quia facillimò negotio, ubi praesertim deest maritus, aut gratis maturitas, violatur.

Non expedit ut recreationibus se dedant peregrinis, quae cum cantilenis & strepitu coniunctae sint, sed domesticis iisque modestis.

Semper gerat in manibus libellum aliquem deuotum, ne actionem seponat: hoc enim compendiosissimum medium est, quo suggestiones diabolicae dispelluntur. Quia caro non cessat repugnare spiritui; idcirco amore Christi cum eam restringere conitantur, & tanquam lasciuam bestiam abstinentiae exercitatione refrænent.

Iraeci, sicut est proprium hominis, ita non vincit ira, proprium Christiani; quare viduam excandescere, multò indignissimum.

Frequenter cogitent foeminas se se esse, ac subiacere passionibus humanis, & expedire magis, ut doleat stomachus, quam affligatur animus, ut mandetur corpori, quam periclitetur pudicitia.

Nunquam excidat memoria Iudith, & Anna prophetissa, quae diu nequq;

vacatūt in Templo orationi, ieiunijsq;
 vethesaurum pudicitiaē conseruent.
 Vnde vna truncauit caput Dæmonis,
 hunc enim figurat Holofernes. Altera
 inter viduas prima Saluatorem Mundi
 suscepit, & particeps cælestium secreto-
 rum effecta fuit.

Considerent animas suas esse filias
 Dei, proinde non debere cōquiri orna-
 menta extrinseca, sed omnem ambi-
 onem explēdam esse cultu animæ, quæ
 filiam Dei repræsentare potest.

Non contentæ sint bono inchoato,
 sed studeant ad finem illud perducere:
 nam Apostolus Paulus quidem incepit
 malè & finiuit benè; Iudas è contra in-
 cepit benè, sed finiuit pessimè.

Quorsum Christianæ viduæ cincti-
 ni & fuci? Quomodo talis peccata sua
 deslere potest? Hæc sanè non ad Chri-
 sti regnum, sed ad Antichristum perti-
 net. Et qua fiducia erigit vultum ad cæ-
 lum, quæ, cum mutauerit concessam
 sibi à Creatore speciem, ab illo non ag-
 noscitur.

Quapropter aliud promittimus, &
 monstramus aliud? quare lingua præ-
 dicat castitatem, & corpus testatur im-
 pudicitiam?

Magna

Magna enim uero uirtus, & digna, quæ sine intermissione inquiratur, natum esse in carne, & carnis curam uiuendo negligere.

Si Diuus Paulus timet inquiring, Non quod uolo bonum hoc facio, & proinde carnem meam in seruitutem redigo. Quis nostrum securitatem sibi polliceatur?

Si Dauid uir secundum cor Dei, & Salomon dilectus Dei uicti fuere, quis non metuat, se in lubrica mundi uita casurum?

Meminerit uidua semper uoluntatem Dei sibi explendam esse, à quo æternam bonorum retributionem sperat: neque enim omnia, dicit ille in Euangelio, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum caelorum, sed qui fecerit uoluntatem Patris mei. Et alibi. Cur uocatis me Dominum, & non facitis quæ uobis præcipio? Item. Qui facit uoluntatem Patris mei, ille Pater, Mater, soror, & frater meus est. Addit Propheta, filius honorat patrem, & seruus dominum. Ego igitur si pater uester sum, ubi est honor meus? Si ego Dominus uester, ubi timor meus? Unde liquet, cum qui non respōdet uoluntati Dei, nec amare eum, ut patrem,

nectimere vt dominum, quocirca Dauidi, qui peccauerat dicebatur: Tu verò non respexisti Deum benefactorem tuum. Et, qui honorat me, honorem recipiet; qui verò contemnit, confusione ac pudore induetur. Quid autem intolerabilius ac iniquius cogitari potest, quàm viuere contra voluntatem eius, à quo vitam suscepimus? aspernari præcepta illius, qui obtemperantibus sempiternam beatitudinem pollicetur? Deus enim uerò nihil indiget seruitute nostra, sed nos illius lege, vnde mandata eius desiderabilia esse debent auro ac margaritis, quia incomparabile præmium est, quod eorum obseruationem subsequitur. Merito igitur indignatur nobis diuina bonitas, quia non solum præcepta ipsius vili pendimus, sed etiam celestem retributionem ingratè animis repudiamus.

Vox & sanguis Christi clamat: si vis ad vitam ingredi serua mādata, idcirco enim mortem subiit vt cum ipso viuere-remus, quod fit per obseruantiam præceptorum eius, quæ nobis reliquit in pignus diuinæ dilectionis suæ dicens, si amas me, custodi mandata mea, ille est qui diligit me, syncerè igitur ame-
mus

VIDUITATIS. 127

mus Christum, si quidem recortamur nos sanguine illius redemptos esse. Nihil aliud velle, nihil agere debemus aliud, quàm quod ad cognitionem voluntatis pertineat.

Labora quamuis diues, & quicquid manuum labore lucraris, da pauperibus, hoc Deo magis erit gratum, quam si dares magnam partem bonorum tuorum.

Non est res exigui meriti apud Deum, bona filiorum educatio, qui discant auscultare, & non loqui nisi ea quæ ad timorem Domini, & res diuinas spectant.

Filiæ autem non audiant verba inhonestâ, lasciuia vel dissoluta, procul sint à cantilenis mundanis, à seruis lasciuis, non discant ab incunabilis res vanas, non illis perferentur aures, non fucis exornent faciem, quæ consecrata est Deo, non grauentur earum colla auro, & caput gemmis, non incedant crispatis capillis, quia sunt iudicia & præludia ignis infernalis

Si tu adeo es sollicita, ne filia tua ab vlla re offendatur, quare nō magis curas, vt non percutiatur malleo huius mundi

di, qui est Diabolus, neque vt bibat ex calice illo Babylonico, qui huiusmodi vanitatibus repletus est; vel vt non intersit Choreis, & alijs similibus diabolicis vanitatibus?

Vbi paululum excreuerit vt sit grandior, ducas illam semper tecum, & caueas ne illi prebeas malum exemplum, ne conuersetur cum iuuenilibus, sed ponis cura, vt nunquam sit ociosa.

Cum manducaueris, recordare quod paulo post sumptum cibum, debeat orare vel legere.

Fac tibi amicos plurimos per electionem synam, vt cum defeceris, recipiant te in aeterna tabernacula.

Da omnibus rogantibus te, praesertim tamen bonis, Vestis nudum, cibus esurientem, & visita infirmos.

Quoties extenderis manum, & pauperibus erogaueris electionem synam, iugitare tibi, quod is sit Christus; caue autem si Christus Dominus tuus mendicet, ne tu congreges diuitias.

Fuge consortia iuuenum, maxime eorum, qui vani, lasciu, & dissoluti sunt, qui nunquam tua tecta subeant, & Cantores cane peius & angue fuge, atque expelle e domo tua.

Si occurrat occasio vel necessitas in-
quendi alicui iuueni, semper tibi adfiet
præsens aliqua persona honesta, ne vi-
dearis ab alijs sola loqui cum illo;

Piarum ac deuotarum virginum &
viduarum conuersionem quæras &
optas habere semper.

Frequenter cogita de morte, & quod
tibi etiam sit moriundum, & sic nun-
quam cogitabis denuò nubere.

Ita te geras domi tuæ, vt domestici
agnoscant te patronam, & reuerentur
vt sanctam.

Honora patrem, & matrem tuã, sed
si tibi præberent occasionem deserendi
Christum Redemptorem tuum, non
agnoscas, nec audias eos vti parentes.

Fuge omnes personas de quibus ma-
la potest esse suspicio, & noli dicere, suf-
ficit mihi mea conscientia parùm cura
quid alij dicant, quia tollenda est etiam
occasio malè suspicandi, & offendendi
Deum. Quærat primùm regnum Dei,
& iustitiam eius, de reliquis necessarijs
Deus postea prouidebit. Nō abeat vidua
post desideria & delectationes sensuum
suorū & carnis; hinc est, quod in sacri-
ficijs veteris Testamenti, non offere-
batur Deo mel, & cera contemnabatur,
quæ

quæ est domus mellis, sed Deus volebat vt accenderetur oleum in templo suo, quod exprimitur ex amaritudine oliuatum; Pascha quoque voluit Dominus vt manducaretur cum amaritudinibus figuratis in lactucis agrestibus.

S. Paulus; castigat corpus suum, ne reprobus efficiatur; & vidua iuuenula replendo & infartiendo se varijs ac delicatis cibus, quomodo secura erit de sua castitate?

Multoties animus Patroni cognoscitur ex habitu seruæ illius. Non est possibile dum hîc viuitur, vt à moribus & obloctionibus hominû simus liberi; quia malis solatium & quædam recreatio est; malè loqui de bonis; attramen vanus & inanis rumor citò euanescit Et ex vita præsentî licet iudicare de vita præterita: & ignis ex stupa citò deficit. Flamma etiam deficientibus linguis facilè & paulatim extinguitur.

Si de te malè loquuntur; cesset vitium, cessabit & rumor, & obsequium.

Nobilitas, forma, ætas, & opes, causant vt vidua ab omnibus magis sollicitentur; hinc fit, vt quo plures sint qui

qui pudicitiam impugnent, eò maiora etiam sint premia constituta ei, qui melius nouit fingere.

Vitabis illas viduas quæ non spontanea sua voluntate, sed necessitate sunt viduæ, & quæ eo modo viuunt, ac si non perdidissent maritum.

Vidua rarissimè prodeat in publicum.

Deus non fecit te diuitem vt sis otiosa, sed vt filas seu per pensum trahas, labores, & sic semper habeas quod posses ex opere manuum tuarum, dare pauperibus.

Semper tibi vt speculum, hanc sententiam ante oculos ponas: Quod tibi vis fieri, alteri quoque feceris.

Non sis facilis ad credendum de alijs malum, quia hoc propriè est indicium animi leuioris, & relinquit semper personam inquitum, sicut etiam malè loqui de alijs.

Non attendas ad laudes aliorum, sed ad tuam conscientiam.

Semper sis armata & præmunita contra peccatum, & ideò parum loquere

Nihil tibi ipsa humilitate preciosius, nihil amabilius æstimandum, quæ conseruatrix & custos est omnium virtutum:

atum: nec quicquam est quod res red-
dat Deo & hominibus gratiores, quam
vera humilitas, dicente Domino: super
quem requiescam, nisi super humi-
lem?

Verum huiusmodi humilitas, non
debet esse superficialis ac simulata, &
consistere non tantum in verbis; sed in
corde & factis, quia multo deformior
est superbia, palliata humilitate: & vitia
magis enormia sunt, quæ virtutis præ-
textum habent.

Nō te præferas vlli personæ propter
nobilitatem: neque eo intuitu illam te
inferiorem reputabis.

Non hominū conditionē respicies,
sed animum, quia mores faciunt seruū,
& nobilē, vera autē libertas atq; nobili-
tas est, nō seruire peccato, apud Deū il-
la persona nobilior, quæ maioribus &
excellentiōribus virtutibus clarescit,
Inter homines quis illustrior S. Petrus?
& tamen erat piscator, & pauper ho-
mo? Inter mulieres autem, quæ nobili-
or, quæ vnquam fuit illustrior B. Vir-
gine? & tamen fuit sponsa fabri. Nihil-
ominus isti Piscatori tradidit Dominus
claves regni cælorum; Ecce autem spō-
sa meruit esse mater illius, qui istas cla-
ues Petro dedit,

Omnia

Omnes eodem preciosissimo sanguine Christi redempti sumus, & ab iisdem Adam & Eva primis nostris parentibus nati.

Non hoc sibi persuadeat vidua, quod ieiunando & abstinendo, sit sancta, quia in eo tantum consistit auxilium, sed non perfectio ipsius sanctitatis: & quid iuuat extenuare corpus abstinentia, si animus superbia infletur & extumescat? Quid prodest si facies ieiunio palleat, & huida sit mens inuidia? Quid virtutis habet vel meriti abstinere à viro, & inebriari ira atque odio? Tunc bona est abstinentia, & meritoria atque laudabilis mortificatio carnis, quando animus ieiunat à vitijs; caro enim per abstinentiam affligitur ad hoc, ut in animo superbiæ tumor, retundatur; & extenuetur, & ut contempta vidua, discat suæ propriæ voluntati renunciare, illamque diuinæ voluntati conformare; hæc enim in humilitate perfectione constituit; & idcirco S. Paulus castigabat corpus suum, & quanto plus ei subtrahebat suos appetitus vel delectationes, tanto magis occupabatur in virtutibus, & ad conformandum se diuinæ voluntati.

g 6 Habe-

Habeas curam famæ tuæ, & taliter viuas, vt nemini præbeas occasionem de te malè suspicandi, & nemo de te possit aliquid mali fingere vel excogitare, quod aliter liceat credere; multò minus vt aliquis de te possit malè loqui; alioquin in vanum conquirere de maledicentibus, si tu illis suggeras materiam maledicendi, si autem non præbueris occasionem vllam, & ipsi nihilominus de te malè loquantur, habebis pro consolatione testimonium conscientia tuæ, quæ satis secura est, quando scit, se nullam præbuisse occasionem cogitandi vel malè dicendi, & tunc nobis appositè accommodari potest, illud quod Christus: *Beati eritis cum vos maledixerint homines, &c.*

Sit in domo tua locus aliquis secretus vel remotus, ad quem subinde possis confugere, post multas tribulationum & afflictionum tempestates, & varias cogitationes, & curas domesticas, tanquam ad tutissimum aliquem portum.

Taliter familiam tuam governa, vt potius velut matrem te diligant, quam dominam metuant, & ad reuerentiam

VIDUITATIS. 138

etiam illos prouoca benignitate, non seueritate; quia seruitus multò fidior esse solet, cum procedit ex amore, quam ubi oritur ex timore.

Habitu simplici & honesto sis, quæ sobrietas & verecundia comitetur.

Vidua etiam inuenis non debet redire ad statum matrimonialem, consilio Apostoli, nisi periculum sit incontinentiæ.

Satis tibi esto excessisse primū gradum virginittatis, & per tertium redactam esse ad secundum, ab officio conjugali scilicet ad continentiam vidualem.

Nonnullæ mulieres etiam superstitibus maritis edunt votum castitatis, & concupiscentiam suam moderantur. Et non erit casta ac continens, quam mors à consortio mariti diuisit?

Deus maritum tibi dedit, Deus & abstulit, & tam præclaram actionem iterandæ libertatis, & euadendi iugum virile, negligas?

In arca Noë mulieres vnum duntaxat virum, & viri vnam tantum mulierem sibi copulauerant. Idem inter animalia quoque seruatum legimus, vt doceamur, feminam contentam esse de-

bere primi marito, nec congruere, vt secundum adiungat.

Vidua iuuenis, quæ non vult aut non valet in continentia persistere, potius marito secundo nubat, quàm Diabolo seducenti consentiat.

Experimento didicisti, ad quod angustias matrimonium coniugatos, redigat: demùm omnes hasce amaritudines euouisti; cur ad easdem reuertes? Arces cæli aspice, quæ si quidem in rete semel inpegerint, vndique nè in idem ferantur iterum, circumspiciunt.

Ex necessitate virtutem fac.

Ne certum pro incerto apprehende.

Multæ viduæ & si non progrediantur in publicum, sed inter priuatos se parietes cõtineant, infame tamen nomẽ sibi comparant propter necessitudinẽ eum ministris domesticis, propter leuitatem vestium, vigorem ætatis & formam corporis: quod ad cautelem suam dictum velim, vt circumquaque custodias cor tuum, & abs te amoueas, vnde sinistra de te alijs suspicio ingenerari possit.

Cauere possas aut approbes consilium nutricis, & aliorum familiarium, tuorum; vix enim aliud suadere consueverunt, quam quod tibi placere, in suum
verò

verò emolumentum vergere intelligunt.

Si benè te operante tristatur pater tuus, certè lætabitur Christus, si domestici plorant, Angeli exultabunt.

Non es illius, qui te genuit, sed qui regeneravit, & in pristinā libertatē, dato sanguinis thesauro asseruit.

Nihil est, quod vehementius inflamet corpus ad libidinem, quàm cibus indigestus. Vidua iuuenis modico vino utatur, si stomachus ita fert, & ea temperet sibi à cibus calidis.

Amorem gemmarum, & vanarum vestium, conuerte ad scientiam Sacrarum Scripturarum, & omnium eorum, quæ ad animæ tuæ salutem conducunt.

Ille, aiebat Ethnica fœmina, qui amorem in me excitauit, idem abstulit, & custodit secum in sepulchro; Si gentilis adeousque despexit illecebras, quid non polliceamur

nobis de vidua

Christiana?

Alia